

Appendix. — Europa Nro. 46.

Regnum Mortuorum.

Litterae Familiares inter Vivos et Mortuos.

Elysium — Meum 24. Maii 1808.

Tribonianus ad quemdam Juris Professore[m].

Cum solatio intelligo ex Manibus, qui ad nos veniunt, Codicem Napoleonis per omnem propemodum Germaniam pro codice legum acceptari, eumque in plerisque Universitatibus tradi. Qua lex subsidiaria pro Foederatione Rhœnana, ubi vagæ hactenus erant leges consuetudinariae, est verum beneficium; sed adhuc majori mihi est solatio, quod audiam, per Codicem hunc incomparabilia Juris Romani principia in lucem produci. Profecto summa mihi ambitio est, quod in parte Compiler Codicis Romani fuerim; erat is fons inexhaustibilis, ex quo hactenus omnes Europae populi suam hauserunt Jurisprudentiam. Omnes regulæ in vita sociali ex hoc fonte profluxerunt. In nullo legum codice major invenitur æquitas, et major Philosophia, nec adeo clare omnes propemodum casus definiti.

Objicitur nobis Compileribus, et Collectoribus, nos nullum in collectione servasse ordinem. Ipse hunc confiteor defectum; sed si quis arduum hunc laborem perpendat, gratus admirabitur tantum thesaurum, quem nos collegimus, ut æqualem Justitiæ directionem posteris relinquamus, ex quo quis quis, quod convenit, excipere possit. Cum primis placet mihi certa observatio celeberrimorum Ephemeridum Helveticarum (Veltkunde dictarum) Illam, ajunt, mortui Eruditi, et lingvæ habent præcedentiam, quod forma earum grammatica sit immutabilis. Hæ lingvæ fuerant hactenus exempla veteris gustus, et artis oratoriæ; secundum has format quavis suam viventem lingvam, et stupet eam, quemadmodum Delineator, Pictor, aut Architectus reliquias artis veterum in fragmentis operum ottomannicorum, et græcorum in Italia adhuc imitatur. Quamdiu genius boni gustus, et philosophia legalis humanum ingenium in scrutando duxerit, semper futuræ sunt leges Romanæ, et esse debebunt objectum studii in Pandectis, si tamen scientia legislativa celeberrimam condam hujus populi orbis quis bene uti noverit,

qui longe ante mille annos mundum armis rexerat, et nunc etiam, postquam de theatro mundi jam disparuit, spiritu legum suarum regit.

Novae, et actu viventes in Europa lingvae, licet summum attigerint politurae gradum, est tamen in multis casibus grammatica earum adhuc instabilis. In quavis viva lingva proprie dominatur consuetudo, quam iterum universalis Meretrix *Moda* regit. Quod ante 20. annos pulchrum fuit, hoc hodie non placet; Quod ante 100 admirationi fuit; hodie ad antiquitates rejicitur, et mox evadet plane non intelligibile. Ex hoc rite deduci potest consequentia: Quod leges populi sua lingua scriptae, post aliquot centenos annos aut explanari, aut juxta genium Saeculi renovari debeant, ut, quid leges velint, intelligatur. Praecedentia itaque legum romanarum est, quod lingua tali scriptae sint, quae nulli aetatis vicissitudini subjacet, et consideratio illa, quod codex Legum romanarum hactenus omnium positivarum legum civilium in Europa fons fuerit, dehinc quoque futurus sit, monere debet Juris studiosos, ut fontem hunc diligenter curent.

In Germania certe nullus legum Codex perfectior erat Borussico, et tamen Jus Romanum secundum omnes ramos suos in omnibus Academiis tradi debuit. In Ipsa Gallia principia, et Institutiones Juris romani debent cum praelectionibus super Codice Napoleonis conjungi. — Ex his enascitur in quovis Juris studioso illud desiderium, ut omnes legum codices in linguam latinam traducantur, ut genuina legum significatio in sua puritate ad posteros transeat.

Ex politicis novitatibus sequentia legimus in *Elisio*, et quidem in *Monitore Parisiensi* de 19. Maii, sub articulo *Bajonna* de 14. Maii: *Don Ferdinandus* Princeps *Assuriae*, *Infantes* item *Don Carolus*, et *Antonius*: *Constantia*, et inconcussa fide omnium Hispanorum, quam erga se omni tempore probarunt, moti, summo cum dolore praevident pericula, confusionem, et summam infelicitatem, quae ex eo sequi deberent, si violentam regni promoverent ruinam. Videntes, causam praecipuam horum esse eam, quod populus ignoret motiva, quae actiones Suarum Serenitatum in hac re dirigerent, prout et planum, quod Patriae suae intuitu jam defixum esset; hinc obligationis suae esse reputant, populum de his instruere, ne effectum suorum planorum impediatur; ei errorem eximere, hacque ratione summum amoris, et aestimationis eidem documentum dare. In illis rerum adjunctis, in quibus post abdicationem Patris sui regnum reppererunt, utpote praesidia confiniaria copiis galliis obsessa; Metropolim 60,000 militum ejusdem nationis cinctam; combinatis multis aliis circumstantiis, quarum ne-

titiam nemo alter habere potuit, mox convicerunt eos, inter saxum et saxum securissimam, quam eligere poterant, viam esse si Bajonnam proficiscerentur, ubi dum advenissent, intellexerant, Patrem suum contra suam abdicationem protestatum fuisse, declarasseque, eam non liberam, sed coactam fuisse. Cum autem Princeps Asturiae coronam non nisi eo in supposito acceptasset, quod haec abdicatio spontanea, et libera fuerit, ideo, intellecta hac Genitoris sui protestatione, ex devotione filiali mox thronum Patri restituit, et vix haec facta sunt, renunciavit idem Rex Pater nomine totius familiae juribus coronae in favorem Galliarum Imperatoris, ut idem Imperator et futurum Hispaniae Regem nominare, et Dinastiam familiae regnantis pro arbitrio deligere possit, quae dehinc thronum Hispaniae obtineat. In hoc igitur tristi rerum situ, et inter has admodum criticas circumstantias constitutae Suae Serenitates; plenissime convictae de eo, quosvis conatus populorum Hispaniae in defendendis eorum juribus non tantum inanes, verum etiam causam ingenti sanguinis profusioni futuros, nec aliud producturos, quam amissionem majoris partis provinciarum, et omnium coloniarum transmarinarum; videntes itaque, nullam aliam haec mala praevitendi viam sibi superesse, quam si in abdicatione jurium, per Patrem suum alioquin jam factam, ipsae quoque consentiant; praesertim spectato eo: Quod Galliarum Imperator semet obliget, velle se integritatem Hispanicae Monarchiae, et omnium coloniarum conservare, nec ullam particulam aut avellere, aut pro se retinere; velle item conservare unitatem Catholicae Religionis, tuerique, ac conservare proprietatem civium, leges item, et consuetudines, per quas conditiones felicitas populi hispanici durabili superstruetur basi; his considerationibus motae Suae Serenitates, putant, nullum majus magnanimitatis, amorisque sui erga gentem hispanicam, atque studii, felicitatem ejus promovendi, dare posse argumentum, quam si omnia; quae quae sua sunt, commodo et saluti nationis consecrent, et ad Cessionem Patris accedant, prout etiam effective jam accesserunt; solvunt itaque fideles suos omni obligatione, qua hactenus erga Suas Serenitates obstricti erant, monentque eos, ut salutem patriae prae oculis habeant, et in pace atque tranquillitate, suique in inscrutabiles fatorum ordinationes resignando, sortem suam e manibus Napoleonis expectent. Hoc facto probabunt suam erga Principes devotionem et affectum, quemadmodum vicissim Principes nullum majus fidelibus suis dare potuissent amoris ac benevolentiae suae testimonium, quam quod omnibus suis juribus renunciaverint, et omnibus privatis commodis semet abdicaverint, ut populos suos dilectos felices reddere possint, quo-

rum felicitas est summa omnium votorum suorum. Burdegalae 12, Maii 1808. Principes Ferdinandus. Carolus. Antonius.

Biographia.

Tribonianus, natus *Sidae*, urbe Pamphiliae in Asia minore. Erat vir magnorum talentorum, quae Justinianus Imperator aestimare novit, et ideo eum ad summas promovit Reipublicae dignitates. Idem Imperator detulit illi provinciam collectionis legum, ex qua codex Justinianus enatus est. Codex hic est summus thesaurus pro administratione Justitiae, cui tamen Jurisconsulti defectum ordinis, et chronologicae legum seriei objiciunt. Historia describit eum qua hominem extremae avaritiae deditum. Erat Christianus, et incepit Codicem circa Annum Christi 531.

Diarium Politicum.

Bellum ad aquilonem in finibus Sveciae necdum fixam aliquam accepit directionem, nec actum aliquem decretorium adhuc produxit. Rumor vulgabat, intercessisse cruentum praelium, in quo Princeps Sveciae Christianus vulneratus esse dicitur; sed certitudo adhuc nulla. — Praesidium *Sneaburgum* cum portu, et classicula, quae in portu fuerat, in sequelam Conventionis, jam in prioribus descriptae, 3. Maii Russis traditum est.

Litterae Londinensis Memorant; Ducem Mancuniensem (Manchester) expeditionem ad Jamaicam suscepisse. Bellum in S. Dominico inter *Petion* et *Christoph* adhuc cum furore continuari — Anglos imminere praesidio Havana in insula Cuba, quae est antemurale veteris, et novi Mexico. Praetor *Duckvorth*, qui classem Rupefortensem plane in India occidentali quaesivit, ad portum Plymouth cum classe sua rediit.

Gallus Indiacus — Anser.

Uterque est objectum adagii: Galli dicunt; *vous etes un dindon*; et Germani (*Sie ist eine Gans*) Gallos Indiacos detulerunt in Europam Jesuitae; sed jam A. orbis conditi 3559 *Melcager* eos in Graeciam induxit. A. 1510 visi erant Romae duo Galli indiaci, qui ex India venerunt. — *Anseres* erant apud Aegyptios, et Romanos in honore; priores jurant ad anserem, et posteriores collietunt eos in Capitolios Consul Scipio Metellus detexit valorem jecuris anserini, et *Æcaliger* laudat anseres a prudentia, pudicitia, et providentia; sed in *Gastronomia* sunt *Indiaci* meliores, quam anseres.